Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 325
Quelle:
Copyright:

concinite &c. quem ſupra *Berengaudi* Expoſitioni *Apocal.* adjectum diximus, inſertumque legimus Enarrationib. in *Apoc. Anſelmi Laudun.* prout extant in *Opp. Anſelmi Cantuar. Colon.* 1612. T. II. p. 506. f. quin tamen *Expoſitio* noſtra aut *Berengaudi* aut *Anſelmi* ſit. Finit illa: *et ut uerba hujus libri et tribulationes cum patientia et gaudio perfecte* (perferre?) *poſſitis, utinam cum omnibus uobis o fratres ſit gratia, id eſt, gratuita remiſſio et gratuitus amor domini noſtri ihesu chriſti. uel domini patris et ihesu chriſti et ſpiritus ſancti, ſpiritus ſancti dico intellecti per patrem et filium. Amen.* Additur ad haec, ut ait Noſter, *propter obſcuritatem loci* exactior Subputatio *Numeri Beſtiae*, ubi rurſus e voce Γενσηνικος conficitur valore literarum numerali DCLXVI. Ut adeo, dum Noſter ſcriberet, recentior fuiſſe videatur memoria Perſecutoris hujus Catholicorum a. 477. extincti.

II. *fol.* 77. ſequitur ſimilis *Expoſitio Cantici Canticorum*, in cujus Autore detegendo pariter operam me luſiſſe profiteor. Praefatio ejus ita orditur: *Notandum quod in hoc libro Oſcula, ubera, gene, femora ponuntur. In quibus uerbis non eſt irridenda ſacra deſcriptio* &c. Opus vero ipſum: *Oſculetur &c. Vox eſt ſinagogę aduentum chriſti deſiderantis. quousque ſponſus meus mittet mihi oſcula per moyſen, mittet* (per) *prophetas. Jam ipſius cupio ora contingere, ipſe ueniat, ipſe deſcendat. Orat ergo ſponſi patrem et dicit ad eum: Oſculetur* &c. Videas citari *Origenem* in *Cantica*, frequentius *Gregorium* M. frequentiſſime vero *Juſtum epiſcopum*, *Urgellitanum* videlicet in *Hiſpania* Sec. VI. cujus Expoſitionem *in Cantica* poſt varias Editiones habes in *Bibl. PP. Lugd.* T. IX. p. 731. Atque hinc de noſtrae Scriptionis tempore aliquantum liquet. Illius finis: *aſſimilare capreę hynuloque ceruorum, quia tu es, qui carnem ſuſcepiſti mortalium et ſaltu celeri omnes altitudines tranſcendiſti celorum. Super montem aromatum, id eſt, excelſior exiſtens ſuper omnem gloriam angelorum. Amen.* Neque huic Opuſculo multo magis pepercit tempus edax; reſtat tamen in alio *Codice*, quem, ſi lubet, conferre poteris ductu *Indicis*.

CCXXI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 235. f. R. 3316 charactere luculento perſcriptus, et Librorum initiis picturatus inſcribitur: *Incipit prologus Ruodberti tiviciensis abbatis in Apokalypſin.* Ita quidem: *Vt tu quoque o venerabilis Coloniensis Archipreſul Friderice preſentis* &c. Obiit hic *Fridericus* I. a. 1131. itaque quadriennio ante Abbatem noſtrum πολυγραφον, in cujus *Opp.* T. III. *Venet.* 1749. f. Commentarius noſter p. 349. habetur et inſit: *Apokalypſis Ihesu Chriſti. Cum tota libri ſeries grece conſcripta fuerit, et de greco fonte in latinę linguę amnem*